

singulis tuis tabulis numeratis, ut possem nonnullas citare in speciebus.

Vale.

Upsaliae 1762, d. 26. Februarii.

Accepi 60 tabulas Oederi Florae danicae, continet plures plantas alpinas.

18.

Viro vere Botanico DD. Nic. Jacquinio Botanico caesareo s. pl. d. C. Linnaeus Eques.

Heri Tuas d. 3. Aprilis habui, refertas praestantissimis observationibus Botanicis pro more Tuo, adeoque nullius literae mihi magis gratae et desideratae, cum ex eis semper doctior recedam.

Laurum Tuum Cinnamomum vidi et obstupui.

Est absolute verissimum Cinnamomum, nulla ratione inferius zeylanico. Folium etiam omnino idem, ut de eo dubium esse nequeat. Non tanti facio quod Angli cepere Martinicam, quod occuparunt Cinnamomum

trinerve

triplinerve

trinervatum



trinerve folium ubi nervi coeunt in ipsa basi folii, triplinerve ubi nervi coeunt supra basim folii, trinervatum ubi nervi coeunt pone basim folii, ut in Petasitide, Arctio Lappa.

Valerianam tuam *elongatam* vidi, sed non ausus fui eam recipere in numerum specierum, metuens eam esse varietatem, eandem legit Burserus in Sneeberg Austriae in-